

statis pravia, & habita licentia accedendi ad dictos Inquisitores debita cum reverentia dixit, se occasione prejudicii, quod ex actu, et sententia prefatis inferri, & sequi poterat dictae Universitati suisque privilegiis, nomine ejusdem Universitatis ad Nos expresso nomine provocare: qui Inquisitores hujusmodi audita appellatione predicta eundem Franciscum extra aulam dicti Inquisitionis officii hujusmodi per unum, hora quadrantem consistere fecerunt, illumque deinde apprehensum occasione appellationis ab eo ad Nos interpositae cum birruariis, & sine socio ad Convantum Sancti Dominici Fratrum Ordinis Praedicatorum miserunt, & ibi quadam in Cella illi pro carcere assignata concluserunt, cum expressa prohibitione, ne inde, nisi diebus Festis Missam audiendi causa exire, neve quemquam, praeter ipsius Conventus Priorem, & unum alium Fratrem alloqui posset, illumque, tam in victu, quam in quacumque alia re male tractari fecerunt, praetendentes eundem Franciscum gravissimum quoddam delictum commissis ob interpositam ad Nos dictam appellationem, qui, ut ipsi Inquisitores asserunt, a Nobis omnem jurisdictionem abdicavimus, illamque ad dictos Inquisitores transfulimus, quorum Tribunal nullum alium superiorem praeter Deum recognoscit, & postmodum eundem Franciscum in Collegio dictae Societatis ejusdem Civitatis restituerunt, & reposuerunt, in quo carceratus detinetur, nec, nisi cum tribus personis sibi assignatis, nec etiam cum proprio Rectore alloqui potest, eumque pluries ad Tribunal dicti Inquisitionis hujusmodi officii accerferunt, ireque fecerunt ad subeundum examen, non sine maxima contumelia perinde ac si reus causa fidei foret.

Ad haec praefati Inquisitores hujusmodi, ut populum terrerent, qui offensus ex captura, & gestis contra eundem Rocchum ipsi Inquisitoribus obloquebatur, in dictae Civitatis Ecclesiis promulgari fecerunt quoddam edictum, quo sermones, qui de hac materia fiebant, casus Sacri Inquisitionis hujusmodi officii, & quemlibet teneri voluerunt sub poena excommunicationis sibi ipsis reservata denunciare, hac de re loquentes, & quibusvis Notariis, & officialibus publicis prohibuerunt, ne de super ulla acta, & instrumenta conficerent, seu confici facerent.

Licet autem praemissis non obstantibus pro parte dicti Francisci praesentata fuerit appellatio a praemissis dilecto filio moderno jurium, & spoliatorum Camerae nostrae Apostolicae in Portugallia, & Algarbiorum Regnis debitorum Vice-Colleptori, quam ille acceptavit, nihilominus cum praefati Inquisitores hujusmodi procederent in causa hujusmodi, tentarentque carceri mancipare dilectum filium modernum dictae Universitatis Rectorem, aliosque actus praediciales facere pro parte, & nomine eundem Francisci, & Rocchi, necnon dictae Universitatis hujusmodi Rectoris, &

aliorum interesse habentium recursus ad Nos habitus, novaque coram Nobis appellatio, quam admisimus, interposita respective fecerunt.

§.2. Quare nobis iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune, ut infra, providere, de benignitate apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiarum censuris, & poenis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi per praesentes committimus, & mandamus, ut eisdem haereticam pravitatis Inquisitoribus dictae Civitatis Elboren. auctoritate nostra praecipias, ne amplius in causa hujusmodi procedant, ac ut eundem Franciscum e Carcere liberent, necnon omnia, & singula acta per eos in praemissis facta, illorumque processum ad Nos transmittant, nec quicumque contra quamcumque personam eorumdem praemissorum occasione innoverit, praemissisque omnibus, & singulis, sub indignationis, aliisque arbitrii nostri poenis prompte pareant, & obediant.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac ipsius officii Inquisitionis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis ipsis Inquisitoribus, & quibusvis illorum personis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Junii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

Præces Rectoris Universitatis.

Mandatum, de quo in Kubr.

Obstantibus derogat.

Datum die 16. Junii 1643. An. XX.

Com.

DCCLXVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio Vicecolleptori Portugalliae, ut defendat, et liberet Rectorem, & alios universitatis studii Generalis Elboren. Civitatis a molestiis eis allatis ab Inquisitoribus Sacrae Inquisitionis officii.

Dilecto filio Jurium, & Spoliatorum Camerae Apostolicae in Portugallia, & Algarbiorum Regnis debitorum Vicecolleptori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili Saluem, & apostolicam benedictionem.

Facti series.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt & c. Reliqua conveniant de verbo ad verbum cum praecedenti.

Præces Universitatis.

§.2. Quare Nobis idem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune, ut infra, providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio Vicecolleptori, ut Inquisitoribus in iudic. traditionem adhibe.

§.3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiarum, censuris, & poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi per praesentes committimus, & mandamus, ut eisdem Inquisitoribus Elboren. auctoritate nostra inhibeas, illosque cogas, & compellas, sub censuris, & poenis Nobis, & Sedi praefatae reservatis, ut omnia, & singula acta in hujusmodi negotio per eos facta tradant, & consignent, & interim nemine quoquo modo molestent, ac de facto praefatum Franciscum carcere praedicto liberari facias, & quavis persona in notarium, ministrum, & executorem utaris, illamque a quovis prejudicio, quod a Tribunali Inquisitionis hujusmodi illi inferri posset assecures;

Opportunitas ad illi si tribuitur facultatibus.

§.4. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus sententias, censuras, & poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, & interdictum etiam ecclesiasticum apponendi, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio obligationum.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac ipsarum Universitatis, Societatis, & Officii Inquisitionis hujusmodi, quatenus opus sit, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, etiam eo privilegio,

ut asseritur, concessio, quod a sententia Inquisitorum haereticam pravitatis ad aliud, quam ad Inquisitoris Majoris eorumdem Portugalliae, & Algarbiorum Regnorum hujusmodi Tribunal appellari nequeat sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret ten. hujusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in tuo robore permanfuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 17. Junii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

Datum die 17. Junii 1643. An. XX.

DCCLVII.

Declarat, Congregationi Bursfeldensi Ordinis S. Benedicti, & omnibus militantibus sub eadem Regula utendum esse Breviario Benedictino a Paulo V. reformato.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Abbas Monasterii Selgenstadiensis Praesidens Congregationis Bursfeldensis Ordinis Sancti Benedicti, quod alias per majorem partem Monachorum ejusdem Congregationis in pluribus illius capitulis generalibus decretum fuit, acceptandum esse, & acceptatum fuit Breviarum Monasticum Benedictinum a fe. me. Paulo Papa V. Praedecessore nostro ad formam Ritus Romani reformatum, ut consonantia inter eos, etiam in divinis officiis introduceretur. Quare Nobis idem Abbas humiliter supplicari fecit, ut in praemissis, ac alias, ut infra opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Alias statutum ut Monachi Ord. S. Benedicti Breviarium Benedictinum uterentur.

§.2. Nos igitur eundem Abbatem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiarum, censuris, & poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat

Hoc idem praecipit Urbanus. Clausulas addit.

axat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore consentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venetrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus prepositorum consilio, Congregationem Bursfeldensem dicti Ordinis Sancti Benedicti, ut, & omnes alios milites sub Regula Sancti Benedicti posse, & debere uti Breviario Benedictino ab eodem Paulo Predecessore reformato, non obstante, quod in preteritum usi fuerint alio Breviario, apostolica auctoritate tenore presentium declaramus, decretumque Capitulum dicte Congregationis Bursfeldensis de acceptando dicto Breviario Benedictino reformato, necnon de conformando se in ceremoniis Ceremoniali Romano laudamus, & approbamus, occasione autem dicte acceptationis ad antiquam consuetudinem recitandi quotidie Officium Beate Marie, & Defunctorum juxta formam regulæ dicti Ordinis, Monachos dicte Congregationis nihilominus teneri etiam declaramus;

§. 3. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, Congregationis, & Monasterii huiusmodi, etiam Juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 17. Junii 1643. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

DCCLVIII.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Commissio A. C. procedendi contra Republicanam Venetam, Magnum Ducem, Hetruriam, ac Mutinæ, & olim Parmæ Ducem nonnullarum Terrarum S. Sedis Apostolicæ invasores.

Dilecto filio Curia causarum Camera Apostolicæ Auditori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Referuntur invasiones, de predationibus nonnullarum terrarum ad Sedem Apost. per vicentium.

§. 1. CUM nuper ad aures nostras, non sine maxima animi nostri molestia pervenerint hostiles invasiones, & occupationes factæ a Militibus, tam pedestribus, quam equestribus Reipublicæ Venetæ, ac Parmæ, & Placentiæ olim necnon Mutinæ, & Regii Ducum Terrarum nostrarum Bondeni, Ostellate, & Argente, ac aliorum status nostri ecclesiastici Locorum

respective, & novissime certiores facti fuimus de hostili invasione a Magni Ducis Hetruriæ sibi subiectæ exercitu facta territorii nostræ Civitatis Plebis cum depredationibus, latrociniiis, cædibus, aliisque gravissimis damnis nostrorum, & S. R. E. subditorum, juriumque, & dignitatis Sanctæ Sedis Apostolicæ detrimento.

§. 2. Hinc est, quod Nos irreverentiam, & ausus, ac delicta adeo detestanda, nedum quia Nobis, sed etiam palam omnibus manifestissima, ac notiorissima sunt, nequaquam sustinere, & impunita relinquere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine Tibi per presentes committimus, & mandamus, ut causam, & causas prædictorum delictorum, & excessuum, ac quam, & quas nomine Camere Apostolicæ, & Sedis prædictæ, & fisci nostri occasione præmissorum, vel aliorum delictorum in præjudicium, & damnum ejusdem Sedis, illiusque status, & subditorum per præfatos, & eorum quemlibet, aliosque infra expressos forsan committendorum coram te moveri contigerit cum omnibus, & singulis illarum dependentibus, emergentibus, connexis, & annexis, totoque negotio principali auctoritate nostra cognoscas, & debito fine termines, & quascumque sententias, & penas ecclesiasticas, etiam cum comminatione interdicti universalis, particularis, localis, personalis, & mixti in omnibus, & singulis statibus Reipublicæ, & Ducum præfatorum, illiusque publicatione, necnon quancumque penam corporalem, etiam capitalissimam, ac devolutionis cuiusdam feudi, emphiteuteos, seu jurisdictionis, privationis cuiuscumque dignitatis, ac quorumcumque privilegiorum, gratiarum, indulgentiarum, concessionum, titulorum, & præminentiarum quoquo modo a S. Sede Apostolica, aut ab aliis Ecclesiis inferioribus obtentæ, seu obtentorum, etiam individua expressione indigentium, necnon confiscationis omnium, & singulorum bonorum cuiusvis generis, & qualitatis existant tam stabiliū, quam mobiliū, & feroventium, necnon jurium, actionum, & præventionum, ac aliorum quorumcumque, in quas præfatos, & alios in presentium executione nominandos condemnaveris, seu incidisse declaraveris, omni appellatione, reclamatione, recursum nullitatis, etiam ex tribus, aliisque juris remediis ordinariis, & extraordinariis penitus, & omnino remotis, exequaris, cum facultate desuper processus, seu processus tuo, & dilecti filii tui in criminalibus Locumtenentis arbitrio per acta cuiuslibet notarii tibi benevisi confici, & formari faciendi, ac extra curiam commissarium, seu commissarios ad suscipiendas super præmissis, & quolibet eorum informationes cū facultatibus tibi benevisis transmittendi, vel subdelegandi tam contra Republicanam Venetam, & contra magnum, in Hetruria prædicta, & alios Parmæ,

Commissio A. C. causas inde motas, aut motendas cognoscendi.

Et ad penas quascumque, & sententias procedendi.

Com facultatibus opportunis.

æ, & Placentiæ olim, ac Mutinæ, & Regii Ducis, quam contra omnes, & singulos eorum Consiliarios, Ministros, & Officiales cuiuscumque generis, qualitatis, & conditionis existant, necnon etiam contra quancumque Universitatem, Communitatem, earumque officiales omnes, & quoscumque, aliamque personam particularem etiam privatam, & contra illorum omnes, & singulos armorum Præfectos Generales seu Milites, quoscumque Magistros campi, Columnellos Capitaneos, Signiferos, ceterosque officiales quomodolibet nuncupat. ac omnes, & singulos milites, illorumque auxiliatores, fautores, consultores, conspiratores, collegatos, & alios, qui quoquo modo dederint, seu dant, aut dabunt auxilium, consilium, & favorem quomodolibet ipsi Reipublicæ Venetæ, & cuilibet ex prædictis Ducibus contra eandem Sedem, illiusque statum in prædictis invasionibus, & aliis rebus prædictis, ac etiam aliis consimilibus, aut majoribus, seu minoribus, que forsan in posterum a singulis ex Republica, & aliis Ducibus prædictis fient, necnon etiam contra omnem, & quemcumque alium Ducem, & Principem cuiuscumque Præminentiam, & potestatis etiam talis, que specifica mentione, & expressione indigeat, ac quancumque aliam personam ecclesiasticam etiam cuiusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, ac Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, aliorumque Ordinum Militarium regularem in quacumque dignitate etiam sublimi constitutam, & ut præfertur, expressa mentione dignam, etiam cum facultate amplissima tam ad fabricationem processus, seu processuum deveniendi, quam in definitione, terminatione, declarationibus, publicationibus, aut sententiis quibuscumque, & illarum executionibus inclusive omnia, & singula prædicta per viam manifesti manifestissimi, notorii, & notiorissimi, etiam nullo juris ordine servato provenient. tam ex dispositione iuriscanonici, seu civilis, quam ex quacumque alia Constitutione Apostolica, regula, statuto, consuetudine, stylo, aut alio quovis jure, etiam speciali nota dignis, sed de facto, & absque ulla citatione, ac sola conscientia informata, etiam cum torture cuiusvis generis, qualitatis, & quantitatis, quatenus arbitrio tuo opus sit, & illi locorum, esse duxeris inflictione.

§. 3. Declarantes expresse, quod de omnibus, & singulis, que per te, seu per tuum in eisdem criminalibus Locumtenentem, aliosque per te quovis modo deputandos fient tam in fabricatione processus, seu processuum, quam in procedendo ad torturam, seu torturas, quam etiam in sententiis ferendo, illasque exequendo in quibusvis censuris ecclesiasticis, & penis temporalibus prædictis, nec tu, nec illi, nec quilibet vestrum teneamini, cogique valeatis aliis, quam soli Deo rationem reddere.

A jure culum, que reddendo eximitur.

§. 4. Ac decernentes presentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio notari, vel impugnari, nec quancumque injuriam allegari posse, sed te, & tuum Locumtenentem huiusmodi soli Deo dumtaxat, ut præfertur de præmissis rationem reddere teneri, ac easdem presentes literas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, necnon Camere Apostolicæ præfatos Clericos, & alios Ministros, & Officiales, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & quovis alios quancumque auctoritate nunc, & pro tempore fungentes sublati eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, ac definiiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Nos enim uti de prædictis invasionibus, occupationibus, hostilitatibus, depredationibus, & aliis gravissimis damnis jam per eosdem Reipublicam, & Ducem huiusmodi in prædictis nostris terris, & aliis locis dicti status ecclesiastici factis, quodque omnia, & singula præmissa, & illorum quodlibet omnibus manifestissima, & notiorissima sunt, plene informati, & aliis ex causis animum nostrum moverent, eadem omnia, & singula præmissa, ut præfertur fieri, & debite executioni mandari mandamus.

§. 6. Per presentes autem non intendimus in aliquo præjudicari sententiæ aliæ per te contra prædictum olim Parmæ, & Placentiæ Ducem late, ac iuribus fisco, & Camere Apostolicæ inde, & aliunde quomodolibet contra ipsum, & quovis alios acquisitis, quam, & que in suo robore, & firmitate, absque eo quod ab illis recessum, seu illis præjudicatum fuisse, esse, & fore prætendi possit remanere volumus.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, ac præsertim fel. rec. Bonifacii Papa VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dictis, ac quarumvis Provinciarum, Civitatum, terrarum, & locorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stylisque, & usibus tui Tribunalis, ac etiam Romanæ Curie quantumlibet antiquis, & antiquissimis, necnon investituris, etiam Ducatus Parmæ, ac Placentiæ, aliorumque Ducatum, ac Castrorum, & locorum Infundationibus, Vicariatus, permutationibus, Instrumentis, & quibusvis aliis concessionibus quocumque nomine nuncupatis, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis ipsis Reipublicæ, & Ducibus, & quibusvis aliis personis, sub quibuscumque verborum ten., & formis, ac

Mandatum de exequendo.

Reservatio Penitentia jam contra factam Ducem late.

Contrariorum derogatio.

cum quibusvis etiam derogatarum derogatoris, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis, etiam specialem modum, & formam procedendi contra prædictos, & eorum quemlibet continentibus, processumque, seu processum aliter factum, & factos irritantibus. Quibus omnibus, & singulis, etiam de illis, eorumque totis ten. specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum ten. presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque,

Aut si præfatis, & eorum cuilibet sit ab eadem Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, interdici in iudicium extra suas Provincias, & Dioceses, vel non nisi certis solemnitatibus servatis trahi nequiquam possint, per literas non facientes expressam, ac individua de Indulto huiusmodi mentionem, & qualibet ejusdem Sedis indulgentia generali, vel speciali, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non insertam presentium literarum effectus, & illorum vigore gerendorum executio impediatur, vel quoquo modo differi valeat, & de qua, cujusque toto tenore faciendâ sit in eisdem Literis mentio specialis.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 26. Junii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCLIX.

Quod Provinciales, Priores, & alii Officiales Ordinis Fratrum Prædicatorum realiter, & cum effectu per totum tempus a Constitutionibus præscriptum durare possint, & valeant.

De huiusmodi Prioribus lege Const. 728. Nuper fol. 349. & Const. 664. Domini nostri, fol. 265. ut supra.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX incumbenti Nobis apostolica servitutis officio ad ea libenter animum nostrum convertimus, per quæ personarum quarumlibet, præsertim vero religiosam vitam ducentium commodis, & indemnitati opportune consulatur.

§.1. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum Provincialium, Priorum, & aliorum Officialium Ordinis Fratrum Prædicatorum Nobis humiliter porrectis inclinati, quod tempus, quo lidem Provinciales, Priores, & alii Officiales prædicti sine propria culpa eorum prohibentur, & impediuntur, quominus sibi demandata officia, & munera in propriis Provinciis, & Conventibus respectively personaliter exercere possint, non computetur in tempore ab eisdem Ordinis Constitutionibus apostolica auctoritate confirmatis stabilito, sed quod ipsi Provinciales, Priores, & alii Officiales huiusmodi realiter, & cum effectu in eorum muneribus, & officiis per totum tempus ab eisdem Constitutionibus concessum, & præscriptum durare libere, & licite possint, & valeant apostolica auctoritate tenore presentium statuimus, concedimus, & indulgemus.

§.2. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut eisdem Provinciales, Priores, & alios Officiales huiusmodi præmissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu frui, & gaudere sinant, & faciant, ac decernentes presentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suorum plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & illius quarumcumque Provincialium, & Conventuum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibusvis ejusdem Ordinis Superioribus Fratribus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatarum derogatoris, & aliis efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis in specie, vel in genere quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes illis aliis in suo robore permanentibus, ad effectum præmissorum dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatum de observando.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 7. Julii 1643. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

Datum die 7. Julii 1643. An. XX.

Præ-

DCCLX.

Ex Regest. in Sec. res. Brev.

Præceptum Nunciis Sedis Apostolicæ in partibus Germaniæ Inferioris, ut eorum quilibet scripturas concernentes directionem dictæ Nunciature conservare, & consignare debeat suo Successori, accepta ab eo consignationis quietantia authentica.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causa Precepti.

§.1. CUM, sicut Ven. Frater Fabius Episcopus Neritonensis, noster, & Sedis Apostolicæ in partibus Inferioris Germaniæ Nuncius Nobis nuper exposuit, ipse, ubi munus Nuncii huiusmodi inivit, Nunciaturam illam scripturis directionem ejusdem Nunciature, necnon conservationem jurisdictionis ecclesiasticæ concernentibus exhaustam repererit, post adhibitam vero exactam diligentiam in variis Regularium Conventibus, & Notariorum officiis multas ex scripturis huiusmodi recuperaverit, & ex eis triginta circiter magna volumina in forma Archivii cum suis Indicibus, & quovis alio apto ordine ad faciorem pro rei, & casus exigentia earumdem scripturarum usum complaverit, maxime vero interit, ut eadem scriptura conserventur, ne ad alios, quam pro tempore existentium in eisdem Inferioris Germaniæ partibus nostrorum, & dictæ Sedis Nunciorum manus deveniant.

Præceptum, de quo in Rubr.

§.2. Idcirco Nos in præmissis opportune providere, ac eundem Fabium Episcopum, & Nuncium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Fabio præfato, & aliis futuris pro tempore nostris, & dictæ Sedis Apostolicæ in eisdem partibus Inferioris Germaniæ nunciis sub nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitriis poenis apostolica auctoritate tenore presentium precipimus, & mandamus, ut ipsorum quilibet suo in dicta Nunciatura successoris scripturas, & volumina huiusmodi conservare, & consignare, & de eorum consignatione per eos faciendâ a Successoribus suis in eadem Nunciatura, quibus illa consignaverint, quietantiam authenticam reportare omnino debeant.

Clausula.

§.3. Decernentes irritum, & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

& Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majoris sub Annulo Piscatoris die 18. Augusti 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

Datum die 18. Augusti 1643. An. XXI.

DCCLXI.

Facultates Cardinali Dongho ad paciscendum cum Republica Veneta, Principibusque illi confederatis, & Odoardo Farnesio olim Duce Parmensi.

Ex Regest. in Sec. res. Brev.

Dilecto filio nostro Joanni Stephano S. R. E. Cardinali Dongho nuncupat.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. BELLUM contra Nos, & hanc Sanctam Sedem Apostolicam a Republica Veneta, Principibusque illi confederatis, ac Odoardo Farnesio olim Duce Parmæ, & Placentiæ motum stabili pace pro communi bono componi, quantum Nobis est, summo opere cupientes.

Pontificis desiderium pacem inveniendi.

§.2. Motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, circumspeditioni tuæ, de cuius fide, prudentia, & in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, ut cum dicta Republica, Principibusque illi confederatis, ac prædicto Odoardo pacem, Nobis, & dictæ Sedis nomine, tractare, & concludere, & pacis, quam vigore presentium concluseris, inviolabilem, perpetuamque observantiam ex nostra, ejusdemque Sedis parte spondere, & pollicere, Nosque, & Sedem prædictam ad servandum illa omni merito, & validiori modo obligare, ac desuper quascumque scripturas necessarias quomodolibet, & opportunas conficere, & confici facere, libere, & licite possis, & valeas plenissimam, & amplissimam facultatem, potestatem, & auctoritatem tenore presentium concedimus, & impertimur.

Facultates ad id Card. Dongho conceduntur.

§.3. Decernentes ex nunc validum, firmum, & efficacem fore quicquid tu presentium huiusmodi vigore tractaveris, pepigeris, conveneris, & concluderis, Nosque, & eandem Sedem, ad illius observantiam obligatos fore, non secus, ac si Nos ipsi personaliter pacem prædictam tractavissimus, & conclusissimus.

Quidquid ille facisset ratum habebitur.

§.4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Nosque ipsos, & Successores nostros, ac Sedem prædictam, & quoscumque alios quavis potestate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate,

Clausula.

D d d tate,

tate, & auctoritate judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane quidquid fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 21. Augusti 1643. An. XXI.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Augusti 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Auditori Generali Triremum Pontificiarum procedendi contra Fratres milites Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani inobedientes in dictis Triremibus pro tempore existentes.

Dilecto filio Auditori Generali in nostris, & Sedis Apostolica Triremibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Facultas de qua in Rubr.

§. 1. UT fratres milites, & alii Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, quos in nostris, & Apostolicis Sedis Triremibus esse contigerit, in officio contineantur, pro cura nostra pastoralis providere volentes; motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolice potestatis plenitudine; Tibi, ut contra quoscumque fratres milites, & alios dicti Hospitalis in predictis Triremibus pro tempore existentes inobedientes, & alias delinquentes etiam criminaliter, usque ad sententiam exclusive procedere, processusque desuper formare, & conficere, libere, & licite possis, & valeas, facultatem tenore presentium concedimus, volentes, ut processus, quos contra fratres predictos vigore presentium confeceris, & formaveris, clausos ad Nos quamprimum transmittas, ut quod desuper decernendum duxerimus matura deliberatione adhibita decernamus.

Contrariorum derogatio.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, necnon dicti Hospitalis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, eidem Hospitali, illiusque Magno Magistro, Conventui, Fratribus, & personis quibuslibet, in contrarium premissorum quomodolibet, concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum ten. presentibus pro ple-

ne, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 5. Septembris 1643. Pont. nostri Anno XXI.

Datum die 7. Septemb. 1643. An. XXI.

DCCLXIII.

Quod in principio cujuslibet anni eligi debeant duo Adjuncti, seu Coniudices ex Capitulo Ecclesiae Celsonenensis: quo vero ad processus criminales contra Canonicos, per Episcopos Celsonen. ferventur leges Concilii Tridentini.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Capitulum, & Canonici Ecclesiae Celsonen., quod occasione plurium litium, & controversiarum alias inter pro tempore existentes Episcopos Celsonen. ex una, ac eosdem Capitulum, & Canonicos partibus ex altera, ortarum super Jurisdictione criminali, non sine plurimorum scandalo, & divini cultus detrimento, cupientes Ven. Frater Petrus modernus Episcopus Celsonen., ac iidem Capitulum, & Canonici litibus hujusmodi obviam ire, pacemque inter se confovere, super praemissis pro bono pacis, ac recta dictae Jurisdictionis administratione invicem, & vicissim convenerunt, quod de cetero in principio cujuslibet anni, electio duorum adjunctorum, seu coniudicum, capitularium eatenus in dicto Capitulo observata, & deinceps facienda fiat ita, ut circa capturam Canonicorum, Praebendorum, & Capitularium dictae Ecclesiae, & processus criminales faciendos contra ipsos per eundem Petrum, & Successores Episcopos Celsonen., ac eorum Officiales, & Vicarios Generales fervetur dispositio Sacri Concilii Tridentini, & consuetudinum laudabilium eatenus in dicta Ecclesia, & Capitulo observatarum, & alias, prout plenius continetur in instrumento desuper confecto, tenoris sequentis videlicet:

Episcopus, & Capituli Concilium inveniunt circa formam procedendi contra Capitulares in criminalibus

§. 2. In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Amen. Noverint universi, quod Nos Frater D. Petrus a Sancto Jacobo Dei, & Sanctae Sedis Apostolicae gratia Episcopus Celsonen., & Regius Consiliarius scientes, & attendentes, occasione quamplurimum, & diversarum litium, questionum, & controversiarum, quae inter pro tempore existentes Reverendissimos DD. Episcopos Praedecessores nostros, ac Capitulum, & Canonicos nostrae Ecclesiae Cathedralis Celsonen. super Jurisdictione criminali, & intendentes contra dictos Canonicos, & Capi-

Referatur Concilia.

Capitulares, orta fuerunt magna scandala, & quod graviter dolendum est divina officia publica, & privata pacem, & quietem dictae Ecclesiae perturbatam esse, ac in dies magis, & magis perturbari in magnum divini cultus detrimentum, & praedictum, ac tam Laicorum, quam Religiosorum, scandalum plurimorum, & volentes omnium hujusmodi discordiarum occasionem amputare, litiumque, & diffensionum flammam, & amfractus, quae dubios, & tristes pariunt eventus extinguere; ideo pro bono pacis, & concordiae, ac alias ad petitionem Fratrum nostrorum Decani, & Capituli dictae Ecclesiae tenore presentis publici instrumenti cunctis temporibus valituri, & duraturi consentimus, nostrumque consensum pariter, & assensum praestamus, & damus ad petendum, impetrandum, & obtinendum a Sanctissimo, & Beatissimo Domino nostro Domino Papa, ejusque Sanctae Sede Apostolica confirmationem, gratiam, & Decretum electionis in principio cujuslibet anni duorum Adjunctorum, seu Coniudicum Capitularium eatenus in dicto Capitulo observata, & deinceps faciende, ita ut circa capturam Canonicorum, Praebendorum, & Capitularium dictae Ecclesiae, & processus criminales contra ipsos, per Nos, & Successores nostros canonice intrantes nostros, & eorum officiales, & Vicarios Generales faciendos, fervetur dispositio Sacri Concilii Tridentini, & Constitutionum, laudabilium eatenus in dictis Ecclesia, & Capitulo observatarum, & pro praedictis omnibus, & singulis damus, & concedimus cum praesenti publico Instrumento facultatem, & potestatem Syndico, actori, & Procuratori dicti Capituli, videlicet pro Nobis, & nomine nostro parendi coram Sanctissimo, & Beatissimo Domino nostro Domino Papa, & quibusvis aliis persona, seu personis, ad quas pertineat, & spectet, supplicandique proinde, quatenus omnia, & singula supradicta, & dictas laudabiles Constitutiones dictae Ecclesiae, & Capituli roborare, ac suo, ipsiusque Sedis Apostolicae munimine, & Decreto confirmare dignetur, supplereque omnes, & singulos tam Juris, quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, & omnia alia faciendi, gerendi, & exercendi, quae ad plenam, & omnimodam premissorum executionem fieri requirantur. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, & aliis, quae exigi possent, & pro praemissis quascumque supplicationes eidem Sanctissimo Domino nostro Papa, & aliis quibusvis personis, & locis, quibus expedit dandi, offerendi, & praesentandi, & eas providendi, datari, sive subsignari petendi, supplicandi, & obtinendi, literarumque apostolicarum quarumcumque desuper conficiendarum expeditioni consentiendi, & nostros quoscumque expressos consensum, pariter & assensum praestandi, jurandique in animam nostram per Dominum Deum, & ejus Sancta Quatuor

Evangelia, quod in praemissis non intervenit, nec in futurum interveniet dolus, fraus, simoniae labe, nec aliqua alia illicita pactio seu corruptela. In quorum fidem, & testimonium praesens publicum Instrumentum per Iosephum Pintor Regia auctoritate Notarium publicum Celsonae infrascriptum, fieri, & expediri iussimus, & fecimus, quod est datum, & actum in nostro Palatio Episcopali nostrae Civitatis Celsonae die undecima mensis Septembris anno a Nativitate domini millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo praesentibus ibidem. Rev. Jacobo Abella Presbytero, & Rectore Ecclesiae Parochialis Villae Angulariae Pulchri Podii Dioecesis nostrae Celsonen., & Honorato Bonaventura Busquets Chirurgo Cive Celsonae pro Testibus ad praedicta vocatis, rogatis, & assumptis. In quorum fidem, & Testimonium praemissorum. Ego Iosephus Pintor auctoritate Regia Notarius publicus Celsonae hic me subscribo, & mecum appono, quo utor signum. Loco signi sequitur legalitas in forma.

Petitur pontificia confirmatio

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat iidem Capitulum, & Canonici praemissa, quo firmiter subsistant, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summo opere desiderent;

Conceditur.

§. 4. Nos eosdem Capitulum, & Canonicos specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praemissa, ac desuper confectum Instrumentum praesentium apostolica auctoritate, tenore presentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robor adijcimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausula.

§. 5. Decernentes praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, quos illae concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Iudices Ordinarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Ecclesiae, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.